50063

ACADEMICUM INAUGURALE SPECIMEN

DE NATURALI CORPORIS HUMANI INTERITU MEDICE NECESSARIO,

QUOD

adſpirante DIVINI FAVORIS *aurâ*,

ex auctoritate MAGNIFICI D. REGTORIS

D. EDUARDI SANDIFORT,

MED. DOCT. MEDICINAE ANATOMES ET CHIRURGIAE PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *conſenſu*,

UT ET

nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE *decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

ſummisque in MEDICINA *honoribus ac privilegiis rite et legitime obtinendis*,

a. d. XIII. *Kal. April. a. c. H. L. Q. S.*

ſolemniter examinandum obfert

ABRAHAMUS VAN MOERBEEK, DORDR.

S. S. Miniſt. inter Teleio-Baptiſtas Candidatus.

Atque haec, ut ego arbitror, veteres rerum eventis magis emoniti, quam ratione (à priori ſc:) ducti probaverunt. CICERO.

Aliquibus placere poſſibile, multis difficile, omnibus omnino inpoſſibile. SENECA.

LUGDUNI BATAVORUM,

LITTERIS KOETIANIS,

MDCCLXXXII.

NEDERL. MAATSCHAPPIJ TOT BEVORDERING DER GENEESKUNST.

DOUBLET

Corpus bene ſanum, per actiones, a vitâ ſanâ inſeparabiles, ſenſim ita mutatur, ut . . . . . . : tandem mors ſenilis per has mutationes accidat inevitabilis & ex ipſâ ſanitate ſequens.

Boerhaave *inſtit. Medic.* §. 1053.

Atque ſic homo — — ſenſim creſcit in definitam à naturâ magnitudinem, ſeſeque perficit & confirmat : poſt utitur flore aetatis; rurſusque decreſcens fit ſenex; decreſcensque magis ac magis, fit ſilicernium, ad poſtremum exſtinctâ naturâ, corporeque inerti relicto, moritur.

Albinus *de naturâ hominis* §. 1592 *ſeqq.*

— — *Senectus, morbus naturalis, ſolidorum ſiccitate, rigiditate, feculentâ humorum inertiâ, vi vitae fatiſcente, mortem naturalem neceſſario inducit.*

Gaubius *inſt. pathol. med.* §. 888 ed. ult.

VIRIS

DOCTISSIMIS PLURIMUMQUE REVERENDIS

D. ADAMO ABRAHAMSZ *VAN* MOERBEEK,

IN CHRISTIANA TELEIO-BAPTISTARUM ECCLESIA
APUD DORDRACENOS VERBI DIVINI MINISTRO
SPECTATISSIMO, ERUDITISSIMO, VIGILANTISSIMO,

PATRI PIO, DILECTO, OPTIMO, INDULGENTISSIMO,
QUOVIS HONORIS ET AMORIS CULTU AD ROGUM USQUE
QUAM MAXIME COLENDO, PROSEQUENDO,
VENERANDO;

AC

D. D. HEERE OOSTERBAAN,

S. S. THEOLOGIAE UT ET PHILOSOPHIAE
IN AMSTELODAMENSI TELEIO-BAPTISTARUM SEMINARIO
PROFESSORI CELEBERRIMO, AESTIMATISSIMO,

PRAECEPTORI HONORATISSIMO, EXOPTATISSIMO,
DE ME STUDIISQUE MEIS OPTIME MERITO,
OMNI PIETATE ET REVERENTIA COLENDO;

NEC NON

VIRO NOBILISSIMO

D. JANO PAAUW,

ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRO, PHILOSOPHIAE DOCTORI,
PHYSICO EXPERTISSIMO, INGENIOSISSIMO,

AMICO INTER LEYDENSES INTEGERRIMO, LONGE CARISSIMO,
SUMME SEMPERQUE AESTIMANDO;

gratum animum publice teſtaturus;
ſuique memoriam commendaturus,
Numen propitium, vitam felicem, valetudinem proſperam,
ſenectutem longaevam, res ex voto euntes,
ardentiſſime precatus,

leves haſce qualescumque chartulas,
ſempiternae venerationis testes,
ſuſpendit, dicat, conſecrat,

VESTER TOTUS

AB. VAN MOERBEEK.

LEC.

L E C T U R I S

S. ET O.

Omnes artes ac diſciplinas mutuo quodam cognationis vinculo inter ſeſe cohaerere & contineri, uno quaſi ore profitentur omnes, quos capit litterarum amor. Et profecto, qui hujus illiusve ſcientiae culmen adtingere cupit, ſtudiorum ſuorum finem aut terminum ſtatuere debet univerſum illum diſciplinarum orbem, quem vocabulo non incongruo ἐγκυκλοπαιδείαν vocarunt Graeci. — Doctrinarum enim Regina THEOLOGIA nonne aliquâ ſaltem neceſſitudine contingit Medicinam? nonne ſingulae hujus partes aliquid habent, quod alteri prodeſſe poſſit? nonne Anatome, artificioſiſſimam corporis humani fabricam docendo, luculentiſſimum ſimul nobis exhibet Divinarum perfectionum theatrum? nonne Phyſiologia, ornatiſſimum illud naturae decus, hominem adcuratius & intimius ſcrutando, nos unâ deducit ad profundiſſimum & inexhauſtum omnis boni FONTEM, & ſponte cogit ad Numinis majeſtatem, ſapientiam, bonitatem adgnoſcendam, inmenſamque Ejus perfectionem admirandam ac venerandam? nonne ſingularem hanc habent in convincendis incredulis ἐνεργείαν, ut & tremorem injiciant, ſi qui forſan dantur, Atheis; quin & omnis alioquin religionis contemtor inde perſuaderi, etiam invitus, debeat? nonne Pathologia, in explicandis morborum hiſtoriis, quorum fit in S. Scriptura mentio, viam monſtrare, ſicque Ipſius veritatem adſtruere poteſt ac debet, ita ut bono interpreti, hujus auxilio indigere, omnino non liceat? nonne Practica medicinae pars hoc, quod Theologiae ſcopus eſt, praeſtat, ut vitae humanae miſerias & fragilitatem, peccatorumque conſequentias, continuo ob oculos habens, tot veluti ſtimulis à delictis ſceleribusque avocet, ad religionem, pietatem & vitam legibus Divinis conformem excitet maximópere? nonne Chemiae & Botanicae cum Theologiae ſtudio aliqua eſt ſocietas, cum & multorum locorum explicationi lucem praeferre valeant, & religioſa mineralium plantarumque contemplatio acerrimus ſit ad Divini Numinis amorem & cultum ſtimulus (*)? Quid plura? an itaque ambas haſce ſcientias, in quibus operam & induſtriam meam collocare, quasque conjungere tentavi, communis error hodie adeo disjunxit, ut vel in utrâque valere, vel eas ad mutua auxilia flectere, nemo quisquam poſſe videatur? Elapſo enim ſeculo vel & hujus initio non adeo rarum erat, haſce doctrinas ſimul tractare, pluresque (†) tam in unâ quam alterâ excelluiſſe conſtat. — Cum itaque ilius ſtudii, quod à tenerâ aetate mihi ſummis in deliciis ſemper habi-

(*) Vid. Prof. A. P. NAHUYS oratio inauguralis. Traj. 1775.

(†) Inter quos omnino recenſendi *Galenus Abrahamsz*, *Sam. Apoſtool*, *Corn. Belkmeer*, *Ant. v. Dale*, *Mart. Harp*, *Wilh. Houttuyn*, *Corn. v. d. Linden*, *Joh. Marchand*, *Joh. Nettis*, a Principe Auriaco Ophthalmiatri ſui titulo inſignitus, *Ger. v. Olſt*, *Gisb. Oſtens*, *Ant. Jacobsz Roſcius*, *Herm. Schyn*, *Dav. Spruit*, *Chriſtoph. Tirion*, *Fred. Toger*, *Nic. Toornburg*, *Egb. Vlyſius*, *Joh. Willemsz*, *Gerardi* (pater & filius) *Janus* & *Paul. de Wind*, *Jac. v. Zanten*.

habitum fuit, percurſo ſtadio, cogitandae esſent (*ut conſuetudini legique obedirem*) *Academicarum occupationum primitiae, diu multumve non haeſi, quale illas conſtitueret argumentum, ſed ſecundum illud adagii* ἣν ἔλαχες Σπάρταν, κόσμει, *illorum veſtigia presſurus, qui de aliarum artium adſinitate egerunt* (*), *confeſtim* de utilitate ex unâ in alteram redundante *ſcribere, ſicque nexum harum ſatis arctum evolvere adgresſus ſum: cum vero hanc tractationem, nimis jam excreſcere incipientem, abſolvere morbo inpedirer, intereaque in tales inciderem auctores* (†), *qui de hujus materiei partibus ſatis fuſe disſerebant* (‡), *hocce thema ad aliqualem ſui perfectionem obportunius otium, quin & majorem ingenii vim, inprimis autem maturius judicium requirere intellexi; quae cum ſentio, quam ſint in me exigua, curtae ſupellectilis mearumque virium probe conſcius, à propoſito lubens deſtiti, conſiliumque mutare nullus dubitavi, aliud jam vobis obferens ſpecimen, paucarum horarum foetum, ex ipſius quidem medicinae gremio depromtum, aſt tamen à partium, quas ſuſtinere animus eſt, neutrâ omnino alienum; cujus enim rei in Sacris Litteris frequentior incurrit mentio, quam* hominibus conſtitutum eſſe, ſemel mori; neminem vivere, qui mortem non viſurus ſit; in humanâ poteſtate non eſſe, ſpiritum prohibere? *Sincero itaque Coeleſtium oraculorum amatori ingratum fore, minime puto, hancce veritatem & aliunde comprobatam legere.* — *Interim animi candidi exiſtimo, vos ſi quid novi hic quaeſiveritis* (*ore Batavo dixerim*) *erraturos; neque & hoc leges à nobis petunt, quae publicum curſus Academici, non prorſus inutiliter triti, ſpecimen à Candidatis proferri jubent: alia igitur, lubens gratusque adgnoſco, auctorum ſcriptis, alia Doctisſimorum praeceptorum* (*quos ſatis laudare numquam potero, quibus gratum animum oſtendere, nullâ occaſione obliviſcar*) *debentur inſtitutionibus. Hisce valete, & legentes, ſi qui eritis lectores, de conatibus hiſce benigne ſentire, mihique favere, non dedignemini; ſi quos detexeritis errores, ſcite, juvenes nos esſe, qui meliora edocti, corrigi ſe lubentisſime patiantur. Ne itaque intempeſtivâ modeſtiâ, quâ haud raro in ipſâ disſertationum fronte futuri auctores nauſeam creare ſolent, jàm à limine patientiâ veſtrâ abuti & extra oleas vagari videar, manus ad aratrum.*

ACADE-

(*) Sic *E. Ph.* van VISVLIET, J. U. & M. D. *caſus quosdam, in quibus ſcientia medica juriſconſultis eſt necesſaria,* pro gradu doctoratus explicuit. L. B. 1760: *B. de* VOLDER orationem reliquit *de conjungendis philoſophicis & mathematicis disciplinis.* L. B. 1682: & quem primum omnium nominare debuisſem, Cl. *D.* WYTTENBACH, praeceptor olim aeſtumatisſimus, egregiam *de conjunctione philoſophiae cum elegantioribus litteris* dixit orationem. Amſt. 1771.

(†) Ex innumeris paucos laudasſe ſufficiet, *Hoffmannum, Camerarium, Heiſteros, Ray, Nieuwentyd, Derham, Scheuchzer, Schutte, Schmidt, Lesſér, Grew, van Rohr, Warlizium, Mead, Bartholinum, Wedelium.*

(‡) Arctisſimam et quaſi germanam inter Theologiam & Medicinam dari cognationem, cum hae ambae (una ſalutem animae, altera ſanitatem corporis promovere ſtudioſa) hominem quaſi inter ſe dividant, *Gerhardus, Calovius, Danhawerus* & *Mich. Waltherus* in quadragenâ miſcell. Theol. p. 546. ex utriusque convenientiâ in 1) auctore, 2) ſubjecto, 3) mediis & 4) fine, demonſtrare conati ſunt.

ACADEMICUM INAUGURALE SPECIMEN

DE NATURALI CORPORIS HUMANI INTERITU, MEDICE NECESSARIO.

„ *Nemo deſlet, quod naſcitur, nemo quod vivit; at quod*
„ *egeſtatem ſentit, quod labores patitur, quod ſeneſcit, quod*
„ *aegrotat, quod moritur, quisque conqueritur, quaſi ſe-*
„ *cundum naturam minus iſta quam illa ſint: & naſci & vi-*
„ *vere & comedere & eſurire & dormire & mori naturalia*
„ *ſunt, ut nemo his mortalium vacet, niſi cui forte ſenes-*
„ *cendi neceſſitatem, laborumque moleſtias & aegritudinum,*
„ *neceſſitas mortis praecipitata remiſerit.*"

Petrarcha *de rebus fam.* ep. XIX.

§. I. Homo naturae ſoboles excellentior, caeteris animantibus ortus dignitate ipſâque formâ corporis praeſtat: opus plane Divinum mente conſtat & corpore: his in terris errabunda ſublimioris aurae particula argilloſae cuidam portioni ad tempus fuit adligata, non adfixa in aeternum. Abſit tamen credere, humanum corpus, caducam peregrinantis animae navicellam, ſuis non eſſe numeris abſolutum;

eſt

eſt veluti mundus in mundo, magnitudine non dignitate diſſimilis; nil quidquam enim huic recte valenti par aut ſecundum viget: ſanitas autem à ſolidis & fluidis, aequo inter ſe motu agitatis, pendet.

Adſit florenti & adultâ aetate juvenis, in exteriori corporis habitu paulisper conquieſce: quam nobilis ſtatura, aptisſimaque omnium membrorum diſpoſitio, concinnatiſſimaque partium harmonia! quam venuſta totius imago, quam belle colorata cutis, quam conſtantes nervi, ut ſublimia vaſtis cum viribus effert ora! egregia certe capitis collocatio, ut ſcintillant oculi, ut robuſti fortiter tenduntur lacerti, quam adpoſite brachia humeris adnata, brachiisque adpenſae manus, ut ſuper femora truncus adſidet eleganter, quanta inceſſus agilitas! at quid tam diu corticem mireris, intima properes, admotâ veluti face, curioſius perſcrutari: ſolidorum & fluidorum adamuſſim ordinatam compagem explora.

§. II. Hic haud ſecus atque baſis ſubjecta aedibus, corpori ſuſtinendo ſtabiliendoque firma ſtant oſſa; ne ſedibus excidant, validis inter ſe nectuntur vinculis; ne facile frangantur, lentam fovent ſorbentque medullam; ne motu exſiccentur levigatae cartilagines, unctuoſâ rigantur *Synoviâ*: ſed ne tot tantaque ſimul amplectaris, ſiſte gradum. Fruſtrane cerebrum, regia mentis, altis nititur columnis, ſpiritusque animales, ſui miniſtros, nervorum ope huc illucque diffundit? incaſſumne eſt, quod cor, in medio corpore veluti adpenſum, ſua latera verberet, & perpetuum ac ſi eſſet mobile, alternis motibus ex uberrimo ſinu vitae fons ſaliat purpureus latex? quantus rivulorum ex tam fauſtâ ſcaturigine emergentium numerus, quanta varietas? nunc obportunâ deoſculatione ſe ſibi invicem adfigentes, ad eamdem tendunt plagam; nunc ſeſe viciſſim fugitantes, varias proſequuntur vias; hi partes quasdam vix ſalutantes, alias benigno rore ditant;

illi

illi vagabundum rapientes liquorem, paterno eum gremio refundunt; trahit quemque ſua facultas, omnes indefeſſe agunt. O quam purpureum huncce laticem inenarrabili inſequimur voluptate! huic ſeſe ſubducit viſceri, illud amice ingreſſurus; in hoc tenuis, in illo ſpiſſior, in alio flaveſcens, variis ſub formis adrepit, tenuiſſimoque evaneſcit halitu.

§. III. Attamen effectus adeo ſtupendos non exſerit proprio marte ſanguis, tanta ſolus non ſuſtinet; alterno gaudet imperio cum fibris motricibus, hae variis intricatae vel extenſae modis, membranas efformant, fulciendis contegendisque fluidis adcommodatas, faſciculosve (vocant muſculos) componunt, vi mole & figurâ pro ſitu partium ipſarumque functione diſcrepantes: cavitates quidam dilatant, easdem ſtringunt nonnulli; trahunt hi, retinent illi: variis quoque legibus obligantur; hîc pro nutu voluntatis ducuntur, illic voluntatem non adgnoſcentes dominam, famulari recuſant, *Mechanismo* tantum inſervientes; quidam inter iſtos medium tenent: at omnes à nervis, fideliſſimis animae habenis, motum accipiunt & alacritatem; adficiuntur nervi, anima ſentit; his vivificâ ſpirituoſe tumentibus lymphâ, ſtat jucundiſſimum corporis cum animâ commercium.

§. IV. Ex eodem luto quaelibet hujuſce corporis pars fabrefacta eſt, at diverſo modificata artificio; ex ſtupendâ hâcce varietate manat oſſium dura coägmentatio, compacta carnium ſtructura, flexilis & elaſticus vaſorum orbis, ſtrictus renum textus, vaſculoſa teſtium compages, ſpongioſum pulmonis *Parenchyma*, mollis & pulpoſa cerebri ſubſtantia, muſculoſum cordis robur, reticuloſa cutis directio.

Aeque profecto mirabilis ſymmetrica exigui hujuſce corporis diſtributio, ac orbis totius ampliſſimus ordo: ibi ſtaticae hydraulicaeque omnes machinae longe lateque diffunduntur,

at humano in corpore reconduntur intimius; trochleas enim, vectes, receptacula, ſiphones, antlias, liquores, trabes, antennas, molas atque funes, & quidquid mechanicis tenetur legibus, utiliter in eâ adſervat humana natura.

§. V. Haec partes iſtas non ſinit indecorâ marceſcere deſidiâ, ſuum cuique exſequendum adſignat opus. Solida, amico cum fluidis conſociata vinculo, fulciunt, continent & ſervant; fluida nutriunt & augent; accipit haec pars, illa excipitur; haec regit illam, hanc illa viciſſim moderatur; omnes alternatim movent & moventur; aſt nullum inſurgit dominium, mutuo munere obligari amant, momentaneáque vice cauſſae fiunt & effectus, nil ſine conſenſu. Liquores, ſolidorum inpulſu adjuti, canaliculis vel exilioribus pleno feruntur alveo; ſolida, à fluidis ſuſtentata, obportunam ab hiſce mutuantur flexilitatem, benignoque gaudent elatére.

Hinc itaque manat functionum ſtabilitas, integritas ſecretionum, excretionumque libertas; hinc vitales motus, nutriensque calor; hinc corporis aequilibrium; hinc tandem alacritas individui, ſanitatisque vigor: at eheu! quid haec corporis humani concinnitas, tantis elata laudibus? quid inſtructiſſima haecce organa? niſi fictile vas, ad interitum praeceps: „ Infinitae licet ſapientiae machina corpus humanum „ ſit, (ſunt Celeb. F. Hoffmanni verba *) nihilominus „ ratione materiae eſt ſumme corruptibilis & ratione ſtructurae, & nexus partium eſt mutabilis valde, & tandem deſtructibilis; id eſt, facile integritate, mobilitate, ac denique vitâ privari poteſt. Utut homo puriſſimo aëre, ac „ temperatiſſimo, & corpori congruo alimento fruatur, & „ ſecundum ſaluberrimae diaetae praecepta vitae rationem „ inſtituat, ipſi tamen eſt moriendum; nam mors ultima „ li-

(*) In *Medicinae rationalis Syſtematicae* tomo I., pag. 65.

„ linea rerum eſt." Rectiſſime hinc monet TIBULLUS libri I, eleg. 4.

Tu ſi tardus eris, errabis; tranſiet aetas:
Quam cito non ſegnis it remeatque dies?
Quam cito purpureos deperdit terra colores,
Quam cito formoſas populus ante comas?
Quam jacet, infirmae venêre ubi fata ſenectae,
Qui prior Elaeo eſt carcere miſſus equus?

§. VI. Ea enim omnibus, quaecumque in univerſo hocce rerum theatro exiſtunt, per vices oriuntur ac deſtruuntur, corporibus communis lex eſt, ut quo propius ad incrementi ſui culmen perveniant, eo citius ad detrimentum vergant. Quidni & humani corporis reſpectu res pari modo ſeſe haberet? Si enim a primo formationis momento conſideretur, quantum ab illo diſtat provectior humana aetas? Mucus etenim organicus in ovo muliebri primum foetui ſubpeditat alimentum, illud ipſum dein corpuſculum, innumeros formationis gradus tranſeundo, terminum ſuum, a CREATORE ſtatutum, adtingit, ſecus ipſius moles in inmenſum augeretur. Stamen enim primae originis, ſpumantis libidinis guttula, nihilum ferme eſt, ſi cum grandioris paulo foetus mole compares: quanta etiam tunc nativitatem inter primumque ejus exſiſtentiae momentum diſcrepantia? Si ſeptuaginta octogintave annorum decurſu pergeret eâdem proportione creſcere, nonne hinc plus quam Gigantaea moles exſurgeret? aſt longe aliter res ſeſe habet, quo ortui propiores, eo plus; quo vero ab eo remotiores, eo creſcimus minus; ita quidem ut poſt adeptum illud, à naturâ ſancitum, incrementum, decreſcamus neceſſario. Inde SENECA in *Herc. fur.*

— — tibi mors paramur !
Sis licet ſegnis, properamus ipſi.

§. VII. Actiones enim vitae numquam non deſtruunt ſolidas corporis fluidasque partes; reciprocis quippe motibus villoſae vaſorum extremitates paulatim avelluntur, ſucceſſivèque particula ultima à viciná in cohaeſione ſuâ ſolvitur, è loco ſuo dimota depellitur, depulſa abreptaque eliminatur; hâc dein ablatâ ſpatium relinquitur, quod niſi confeſtim novâ impleatur, cui eaedem ad vitae functiones obeundas obtingunt proprietates ac dotes, qúas habebat ante deperdita, corpus ob ſolidá detrita, fluidaque perpetim exhalantia cito citius deſtrueretur. Exigit itaque ipſius natura, ad deperditam ſingulis temporibus ſubſtantiam inſtaurandam, *nutritionem*, quâ corpus in omnem dimenſionem extendatur, producaturque non tantum, verum & quae amiſſis pro modulo ſuppleat. Quum autem haecce non alia ſit, quam actus virium corporis, cujus beneficio partes expanduntur ; hinc non ſolum requiritur, ut materia haec nutritia ſubtiliſſima ſit motuique aptiſſima, ſicque ad minimas partes adpellere easque extendere poſſit; verum & motus & vaſorum preſſio neceſſaria ſunt, ut intus propellatur, adſimileturque, modo ſufficiens his inſuper accedant calor & quies, utroque praecipue ſimul favente ſolideſcunt fluida: ſic ergo ad perfectam abſolutamque nutritionem cuncta viſcera, omnes vaſorum actiones à maximis ad omnium minima conſpirare debent.

§. VIII. Cibus nempe ac potus, tamquam alimenta, ſecus non alunt, niſi ab organis rite praeparata; ſed ſecum ferunt iſta elementa, è quibus materies nutritia elicitur; mutantur ea in chylum, ex quo deinceps ſanguis ac lympha, quae ultima tandem verè nutrit; id quod adeo certum, ut quamdiu homo legitimam lympham non conficit, tamdiu non nutria-

triatur idem. Illa vero, quoad fluiditatem aquae ſimillima, vim pulmonum atque omnium viſcerum experitur, in fluidum longe tenuius ſubtiliusque reſolvitur, circuitibus repetitis adſimilatur, obportunisque locis recipitur, & vitali ipſius corporis motu adplicatur. Eſt autem tenuiſſima, ſicuti Malpighianis conſtat experimentis, quibus obſervatum, omnem, unde excreverat pullus, materiem adeo tenuem fuiſſe, ut per ipſam teſtaceam ſubſtantiam fuerit difflabilis. Tale igitur liquidum fontem uberrimum conſtituit, unde compenſetur corporis jactura: anne in majoribus vaſis, ubi liquida ſimul mixta valido impetu abripiuntur? abſit, ſed in omnium minimis; at quum majora ex tenuioribus capillaribus conflentur, priora refici nequibunt, quin poſteriora unâ reparentur.

§. IX. Id tamen omnes praegreſſas actiones legitimas integrasque fuiſſe ſubponit; quibus è contrario deficientibus, homo repletur equidem, aſt non nutritur. Functionibus vero rite ſeſe habentibus, dantur in corpore vires, quae alimenta commutare valent; ventriculus, muſculi abdominales, diaphragma, aliaque digeſtioni dicata organa, nec non humores comminutionem perfectam reddunt; arteriarum repetiti ictus, varii humorum lymphaticorum reptatus, muſculorumque actiones id ipſum officii genus praeſtant; tonus ac robur partium digeſtioni valide ſtrenuèque famulatur: ſi nimis enim conſtringantur, velut in ſpasmis obtinet, turbatur defraudaturque nutritio; ſin contra nimium relaxentur, ut in cachecticis adfectibus, valde indigeſtas moleculas recipiunt, id quod experientiae deprehenditur conſentaneum; quum vero ſingulis momentis è corpore aliquid excernitur, fieri non poteſt, quin locus ab hiſce particulis vacuus relinquatur, quem materia nutritia explendo jugiter aequet: nec autem refici corpus umquam poſſet, niſi & quiete aliquâ frueretur, quam ſomni praecipue capit tempore; motu etenim continuo do-

 nan-

nantur partes, viriumque hoc ipſo motu, vigilante praeſertim homine, ſit diſpendium, quod quieſcentibus maxime reſtituitur partibus. Illae moleculae jamjam, vi vitae locisque debitis adpoſitae, à calore dein, quo gaudet corpus atque fovetur, in eodem ſitu contineri, magis coädunari, concreſcere, deperditorumque vice defungi debent. Aſt quantae interea, quamque diverſae variis temporibus in corpore humano eveniunt mutationes, quae ipſae tandem inducent interitum!

§. X. Cum in rebus naturalibus fere ſemper à cognitis ad incognita ſit progrediendum, ab effectibus nempe ad eorum cauſſas, hanc & nos ſequamur methodum. Adſerti itaque noſtri veritas ut magis eluceſcat, inſtituta mox inter diverſae aetatis corpora comparatio paulo altius repetenda videtur.

In pueritiâ inſignis eſt fibrarum mollities, laxus rarusque habitus; pori ſunt ampli, partes flexiles; dein cum major ſit vaſorum expeditorum numerus, copioſior quoque eſt liquidorum relativa moles; cutis rubet floridaque conſpicitur; agile evadit corpus, ad omnes qualeſcumque functiones peragendas, adeoque ad humorum circulum & nutritionem fit paulo aptius propterea, quod minor adeſt partium cohaeſio; ob laxitatem ſolidorum minusque eorum robur perſpirabile eſt, & ad virium diſſipationem compoſitum; hinc majori indiget alimentorum copiâ, eamque ſatis facile & ſufficienti vi in ſubſtantiam ſuam redigit.

In adoleſcentiâ vero tenſiores robuſtioresque fibras corpus obtinet, ſanguinem ſubactiorem eumque optimum generat ac fovet, quem & propellit validius; major jam in humoribus datur aptitudo & facultas ad ſervandam fluxilitatem, proin & ad circulum facilius decurrendum; ita ut perpetua fiat elementorum ſucceſſio & ſubſtitutio, neque ulla ſine aequali vicariâque reſtitutione deſtructio, adeoque nutritio perfectior.

§. XI.

§. XI. In ſenectute vero è contrario maxima demum eſt fibris rigiditas ; hinc inflexilitas, reactionis difficultas aut inpotentia, viarum canaliumque anguſtia, lentior liquidorum curſus, ac tandem fere nullus, quies aut inertia perfecta, unde vel inſpiſſatio humorum, vel quaedam denique cum ipſismet vaſis concretio ; ob nimiam porro tubulorum cutis denſitatem ac conſtrictionem difficilior perſpiratio ; praeterea fibrae ex ſuâ parte ad ſe invicem adcedunt, profuſiusque liquida ſumme tenuia expellunt, craſſioribus ipſismet cum vaſis coäleſcentibus ; fugit pinguedo atque evaneſcit ; corrugatur cutis, desquammatur ; uno verbulo omnia fiunt rigida, contracta, concreta. Corpus quamvis in omni ſuâ dimenſione ſeu volumine minui videatur, materia attamen denſitate, duritie ſpecificâque gravitate augetur & increſcit : ob ſolidorum inflexilitatem, diminutam aut abolitam in fluida reäctionem, locus liquoribus vix conceditur, in minoribus praeſertim cerebri canaliculis, quod nimirum eorum abolentur cavitates ; (hinc omni procul dubio, quod repuereſcant ſenes, quin & delirent) memoria, ratiocinium, ſenſus denique omnes gradatim hebetantur aut delentur ; perit motus, viresque minuuntur, ut recte Menander, Ἅπαντ' ἀφανίζει γῆρας ἰσχὺν σώματος ; rigidum fit corpus atque inmotum ſtat ; cerebrum cerebellumque liquida difficile transmittunt ; pereunt omnes actiones ; omnis ſiſtitur circulatio, ni forte, quae in majoribus, & haec tamen admodum lenta, vaſis peragitur ; ſenes non tantam, quantam juniores, alimentorum copiam adpetunt, quippe quod organa, concoctioni inſervientia, non tantâ vi ſubigendi, praeparandi, uti nec diſſipandi fluidi potestate pollent ; hi enim ſimul ac paulo majorem, quam par fuerit, alimoniae quantitatem adſumſere, mox adficiuntur, aliquove morbo plectuntur. Hâc ergo aetate corpus muneribus ſuis rite defungi non poteſt ; ex ipſâmet partium nutritiarum depravatâ qualitate aedificium hocce ad ruinam ra-

rapitur. Verè non minus, quam eleganter Ovidius ad *Liviam.*

Fata manent omnes; omnes exſpectat avarus
Portitor, & turbae vix ſatis una ratis.
Tendimus huc omnes; metam properamus ad unam;
Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas.

§. XII. Si porro innumeras, quas per totum vitae ſpatium ſubit humanum corpus, mutationes animadvertamus, ſole meridiano clarius patebit, praecipuam detrimenti cauſſam in ipſiſſimâ naturâ delitescere. Evolutio corporis per motum materiae (equidem fluidae) progreſſivum perficitur; hunc ad loca quaevis transvehi moverique oportet, quo ſanitas ſervetur; opus itaque vaſis, quae ipſam continere, & in quibus fluere, ſine ullo inpedimento ire ac redire poſſit. Omnia tranquille ſatis placideque geruntur, florente adhuc aetate, integrisque vigente corpore viribus; aſt cum elementa, hocce corpus conſtituentia, ita mutentur, majori partium inſenſilium compagine, jam ipſis in partibus eadem omnibus, quotquot ſunt, muneribus exercendis aptitudo & facilitas amplius non reſtat: quantum enim (ut reſectam modo comparationem rite abſolvamus) ſenile inter & juvenile corpus reperitur diſcrimen? In hoc ſcilicet dantur plura vaſa, quae extenſione particularumque adpoſitione augentur, non vero numero neque ullis de novo creſcentibus; in illo autem vi vitae abolentur: in priori porro plures juxta ſe invicem morantur partes; in poſteriori vero ſibi invicem tantôpere adpropinquantur, ut plane cohaereſcant: ergo diverſa in elementis, corpus componentibus, partium cohaeſio diverſis in aetatibus differt plurimum variatque: unde in propatulo eſt, quî corpus primis temporibus augeatur ab iisdem causſis, quibus in poſterum decreſcat atque deſtruatur.

§. XIII.

§. XIII. Effectus enim ac vis nutritionis eſt adpoſitio particularum alimenti in vaſorum minimorum cavo tum & variis in retibus : ſi vero fines eorum tenaciores magisque reſiſtentes reddantur, jam, calore motuque auctis, vaſa indurantur, diametro minuuntur, retiaque ſolideſcunt. Quamdiu corpus in ſtatu perfecto eſt, omnes canaliculi liberum concedunt liquidis tranſitum, inoffenſa adhucdum eſt circulatio, ac proinde vita ſanitasque perfecta : quum autem alimentis diutius carere homo numquam poſſit, quin cauſſam interitus proximam inveniat, in alimentorum uſu remota haud inepte quaeritur; namque materiae alibilis particulae extremis in vaſculis reſiſtentias experiuntur, ex parte molecularum, quae in auras non abeunt : hinc quo minus ultra progrediantur, impediuntur ſucci nutritii ; aliunde vaſa nimiam propter rigiditatem eos nec elaborare valent nec expellere : ſanguis aliique humores motu lentiori per vaſa difficilius aguntur ; omnes languent functiones, fluida ſpiſſitudinem induunt, ad ſtagnationem inclinant ac propendent; vires decreſcunt, ipſaeque amiſſae mortem adliciunt. Vaſa etenim, à particulis alimentorum anguſtiora facta, mollius oſcillant, ſegniusque ſe contrahunt, poſtremo contentos humores comprimunt ac compingunt, ut in molem coëant concretam, vix ac ne vix quidem reſolubilem, infarctus obſtructionesque in toto corporis habitu genituram (*). Strata hinc fiunt ſuper ſtrata in vaſorum minimorum lacunis, unde minuuntur, coärctantur, clauduntur vaſa, humoresque cum ipſis in unam quaſi maſſam coäleſcunt. Aſt fieri haec nequeunt, quin induréſcant magis magisque partes, ſimulque comprimant liquida contenta, atque denſitatem horum efficiant.

§. XIV.

(*) Hinc igitur icterus, pituita gravis, rheumatismi, ſcorbutus, cachexia, hydrops, & genus omne morborum, quos invehit ſecum tardior liquidorum fluxus.

§. XIV. Idem praeſtat calor, humidum ex interſtitiis abigendo diſſipandoque; conſtat ſiquidem, non ſubficere flexilitati conciliandae exiguarum partium conſtitutionem levemque tantum cohaeſionem, ni ſimul vis aliqua adſit, liquidum nempe ipſum mobile, & inter partes ſe mutuo contingentes vel elementa collocatum, irrorans humectansque eadem, & à concretione inpediens. Hinc interpoſito hocce liquido à ſe invicem diſtinentur ſeparatae fibrae; eodem quoque redduntur ad motum aptiores: remoto contra concreſcunt eaedem, unde perit omnis flexilitas ac motus. Tales proprietates, in ipſis elementis obviae, ſunt ratio, cur ſupra ſe invicem volvi atque revolvi poſſint, donec ad ultimum contactum pervenerint; ultra quem ſi progrediantur, jam facta eſt reſolutio. Calor itaque ac compreſſio has dotes mutant; liquidum hocce expellendo, partibus ſolidis ſenſim rigiditatem ſicque majorem inmobilitatem inferunt, quâ nimium auctâ, reactio in contenta fluida minor evadit aut omnino ceſſat. Hinc ergo motus defectus, quies, fluidi inſpisſatio, tandemque hujus cum ſolidis coälitus, dehinc obſtructio univerſalis, totiusque corporis inmobilitas; fibrae fiunt rigidiores, gravitateque ſpecificâ (*) augentur, unde compactiores denſioresque evadunt, minus mobiles, ideoque fluido ſubigendo, expellendo inpares: hinc ſpirituum viriumque defectus; hinc decrementum partium mollium, ſicque marcor corporis, inertia, frigus, mors.

Ecce, ſubit virus tacitum, carpitque medullas
Ignis edax, calidâque incendit viſcera tabe:

Ebl-

(*) Uti ex inſtitutis hunc in finem experimentis reperit Cl. GAUBIUS, quae communicavit cum M. VAN GEUNS, jam in Acad. Hardcrov. Med. Prof. aeſtumatiſſimo. Vid. Hujus diſſ. inaug. L. B. 1761. pag. 8.

Ebibit humorem circa vitalia fuſum
Peſtis, & in ſicco linguam torrere palato
Coepit.

LUCANUS *Lib. IX.*

§. XV. Omnes, qui in corpore inſunt humores aut gignuntur, ex ingeſtis tamquam fonte ſcaturiunt ac derivantur: haec alimenta vitae viribus in chylum ſanguinemque vertuntur; unde ſegregantur deinceps caeteri quicumque liquores. Liquido hinc conſtat, quod ſi vaſorum textura paulo ſit denſior, liquores difficillime permeënt, ſicque ibi morentur; cumque aliâs ſint inertia ob nimiam à corde diſtantiam, hujusque inminutam vim, hinc lente labuntur; inſuper calore, in corpore, reliquo adhuc, poſtquam infinitos quaſi mutationis gradus experti fuerint, albuminis ovi adinſtar inſpiſſantur. Parietum vaſorum collapſus, eorumque nimia rigiditas, concretio fluidorum, & in ipſismet vaſis oborta induratio inſuperabilem objicit reſiſtentiam. Cordi igitur, utpote rigido, vis propellendo liquido inpar eſt, adeoque nec vitae conſervandae ſufficiens. Vis haecce in dies minuitur, inertia ſimul & fluidorum movendorum pondus augetur, quod nil ferme excernitur, homine praeſertim ſingulis diebus plura ingerente: cum enim ab alimentis novam ſucci nutritii quantitatem accipiat, isque ob occluſa vaſa adpellere nec ejici valeat, obturat haec vaſa, quorum diameter inminuta fuit è liquidorum particulis, ſupra ſe invicem poſitis, ac proin brevior redditur humorum circulus, capillaribus obſtructis tranſitum ipſis jam prius denegantibus: donec tandem, ſublatâ fibras obcalleſcentes inter & regeneratas proportione, & ipſum mentis domicilium obſtruatur, ſuâque vitalitate quaſi privetur, quo Menti ad beatiorem vitam ineundam via detur, & quae optabilis DEI lex eſt, excitetur deſiderium.

§. XVI. Notum eſt, totum olim cranium non niſi ex membranis diſtinctis coäluiſſe: humores, qui circulatoriis legibus devehebantur, ſecum nutrimentum adferebant, quod replebat canaliculos, haſce membranas contexentes; illud vi vitae horum parietibus adſtruebatur, calore indurabatur, iisdemque perſeverantibus in ſubſtantiam ſolidiſſimam abibat. Quare quae antea membranam efformabant vaſa, non tantum ſucco nutritio anguſtata ſunt, ſed penitus clauſa rigent; in ſummâ enim ſenectute nequidem unicum vas remanet, ſed conſolidatum oſſeumque conſpicitur totum, ſine pinguedine, vaſis ſanguiferis ac ſuturis orbatum. Sic & Umbilicalia vaſa olim pervia erant, jam vero ſine veſtigio deleta ſunt: ſinus Falciformis nonnunquam viſus eſt oſſeus; nec minus mediastinum cordisque tendines. Si tandem diutiſſime vitâ motuque fruatur corpus, ſanumque ſit & multum exerceatur, habebit fere omnes partes exſangues oſſeas (*), quia lubricans fluidum hoc modo citius abſumitur. Quod quidem abunde conſtabit, ſi hominem duro labore exhauſtum cum eo, qui modice corpus exercere ſolitus eſt, comparaveris; hunc enim agilem, vegetum, craſſum & pinguem, illum vero rugoſum, ſtipite rigidiorem, fortem aſt macilentum invenies: ſi porro virum non modice exercitatum cum mulierculâ, ſedentariam vitam agente, contuleris; hanc ſcilicet laxam & debilem, illum autem robuſtiſſimum reperies: ſi denique inveſtigaveris, quid duriſſimum, qui fabrorum volas obducere ſolet, producat callum, exſiccatos canaliculos manifeſte demonſtrantem. Huc transfer, quae habet Illuſtr. SWIE-

TE-

(*) Vid. HARVAEI *Anatome Th. Parri annum 152. agentis*, ſubnexa libello *J. Betti de ortu & naturâ ſanguinis*, Lond. 1669. & KEIL *diſſection of J. Bayles aged 130. years*, in *Transact. Phil. Angl.* Vol. 5, N°. 306. nec non HALLERI *ſectio decrepitae 100 annorum*, iisdem in *Transact.* Vol. 44, N°. 483. p. 528.

TENIUS (*): „ dum duro labore victum ſibi & ſuis comparat ruſticus, quam firma habet omnia, quam robuſta! „ Omnes aëris injurias ſpernit; duriſſimos vorans cibos, digerit perfectiſſime: otio & luxu perditus homo quam debilis quam miſere vivit! Minimam aëris ambientis mutationem ſentit ilico; & millenis gulae irritamentis, quae ſatietas, non fames, invenit, vix poteſt languentem excitare ventriculum."

§. XVII. Innumeras itaque mortis cauſſas circumferimus, veriſſimèque SENECA in *Thebaide*:

Eripere vitam nemo non homini poteſt,
At nemo mortem; mille ad hanc aditus patent.

Res enim, *non-naturales* dictae, vario corpus adficiunt modo; blande ſaepius cum illo agunt, illud ſaepius male torquent; corpus enim pede non pulſant aequo; modo vitam tuentur, modo gravi eam petunt ictu: hinc motus adaugentur citius, vel tardius inminuuntur; hinc genuinus alteratur calor; inpurae hinc fiunt ſecretiones: plus juſto vel debilius ſanguinem verberant vaſa, vel cruor languidius vehitur, vel vehementius turgeſcit: fibrae tenſae nimis, vel nimium relaxatae, rorem inſane repellunt aut inutiliter admittunt; ſic noxam inferunt, quae nobis erant proficua: prolixiori itaque vitâ ſtupeas, non citâ morte.

Neque ab exterioribus ſolis inminet machinae periculum; ipſiſſimo in ſinu noſtro ut vitae ſic & mortis cauſſas fovemus: ex ipſis vitae fontibus corpus haurit ſui deſtructionem. Vita in motu poſita eſt; vitae principia movendo diſſolvuntur: partium, ex quibus vita emergit, indeſinens alteratio, flui- do-

(*) In *Commentarii Boerhaaviani* Tomo I, §. 30, p. 41.

dorum quotidiana colluvies, ſolidorum continua exſiccatio, ineluctabilem nobis accerſunt moriendi neceſſitatem.

§. XVIII. An à ſolidis omnis mali fomes? an à fluidis vitae corrumpantur penetralia? ne ambigatur: ab utrisque vita pendet, ab utrisque mors erit.

Solida elatère gaudentia ſuccum, ſenſim ſine ſenſu ſuos ſubeuntem poros, libenter admittunt, atque ita explicari amant; hinc corporis accretio, quae ſuis demum circumſcribitur terminis: proh dolor! eadem tunc vulnus ferunt, quae ante ferebant opem; repetitis enim ictibus cor ſalutarem ad partes protrudit ſuccum, at motu perenni, feliciter partibus adglutinatum divellit. Calor ſanguini fluiditatem, fibrisque flexilitatem inpertit, idem vero diſſipat liquores, exſiccatque fibras. Aſt, inquies, inminentem ruinam arcet nutritio, partes ab innumeris machinae punctis avolantes, novarum adpoſitione, continuo reſarciens. Verum quid inde? cordis vaſorumque totus ille vigor, fibris explicandis hactenus impenſus, accretione licet perfectâ, nonne idcirco inminuitur? Vis ipſa, quâ ſuccus truditur in poros, fibras, jam ſatis extenſas, nimio plus extendit; ſuperſtes quoque calor benignam earum depauperat mollitiem: paulatim itaque rigeſcunt, paulatimque tonum amittunt ſolidorum orbes; fluidorum caterva languidius pellitur; hinc ſtaſes, ſtagnatioque, corruptionis parens; hinc obſtructae algent extremitates; tenuia praepediuntur perſpirationis oſcula, retrogrediensque ſanguis ramulos collaterales permeat ſolos ob inſuperabilem in extremis reſiſtentiam. Res ideo, quae in commercium venêre pares, etiamſi ab initio non luculenter ſe viciſſim demoliantur, diuturnitate tamen diſparili proportione evadunt, & ſic infelix editur decretio, mortis praenuntia.

§. XIX.

§. XIX. Aetas aetati ſuccedit, cunctis vero labitur temporibus, & Phyſiologice verum illud SENECAE (Epiſt. lib. III.) *Quotidie morimur, — & nunc quoque, cum creſcimus, vita decreſcit.* In doloribus homo paritur; vagiens in lucem prodit; acutiſſima inter mortis ſpicula vacillans creſcit corpus; hos ſi pertranſeat ſcopulos ſecurus, corroboratur magis, at nihilominus vehementioribus obſertur procellis; effrenatae juventutis dat colla jugo; perfugiens iſtud temporis curriculum, mors, ludendo quaſi, diris eum cruciat morbis; hujus praecipiti impetu exagitatur nimis, ſaepius occumbit; cui ſi ſe ſubducat ſalvum, gradum conſcendit virilem, ibi lapſas aetates non longo proſpiciens intuitu, in nova trahitur pericula, futura praeſentit, at haec prae timore velis obtendit etiam denſioribus. Inane luctamen! Ecce enim, certo venit, tardo licet, pede curva ſenectus. Ut hieme folia arbores, ita nunc calvum verticem albi deſerunt capilli; interſecant vultum rugae; pendula fit ſub mento cutis; ſtillant nares; inexplanata vox ore balbutitur edentato; ſurdeſcunt aures; caeterique ſenſus, hebetes facti, miſere diſtrahuntur; faciles tunc oboriuntur lacrymae, ineptique excutiuntur riſus: tripes, ideoque magis ac magis tremulum animal factus homo, tardo difficilique titubat paſſu, at vacillationem brevi lapſus inſequitur; proſtrata exareſcunt membra; anhelans pectus inpedita fugiunt ſuſpiria; inſenſilis intercluditur perſpiratio; incertaque ſecernendorum cohors in limite haeret: arteriae, oſſeam quaſi nactae duritiem, nec liquores trudunt, nec liquoribus cedunt; hi vero eglaciati ſtant inmobiles; polypoſus evadit ſanguis; emaciata flacceſcit caro; aggravatae concidunt palpebrae; excavatique oculi, lucem quamvis aegre ferentes, luce tamen orbantur aegre: interrogatus tunc ſilet pulſus, fugit calor, perit motus, obrepensque corpus ſenile ſomnus inrevocabilis occupat. Haud ineleganter canit CORN. GALLUS El. I. vſ. 208.

Hae

Hae ſunt primitiae mortis; his partibus aetas
Defluit, & pigris greſſibus ima petit.
Non habitus, non ipſe color, non greſſus euntis,
Non ſpecies eadem, quae fuit ante, manet.
Labitur ex humeris demiſſo corpore veſtis,
Quaeque brevis fuerat, jam modo longa mihi eſt.
Contrahimur, miroque modo decreſcimus ipſi;
Diminui noſtri corporis oſſa putes.
Nec coelum ſpectare licet; ſed prona ſenectus
Terram, à quâ genita eſt, & reditura videt.
Fitque tripes, prorſus quadrupes, ut parvulus infans;
Et per ſordentem flebile ſerpit humum.
Ortus cuncta ſuos repetunt, matremque requirunt,
Et redit ad nihilum, quod fuit ante nihil.
Hinc eſt, quod baculo incumbens ruitura ſenectus
Adſiduo pigram verbere pulſat humum;
Et numeroſa movens certo veſtigia paſſu,
Talia rugato creditur ore loqui:
„ *Suſcipe me, Genitrix! gnati miſerêre laborum:*
„ *Membra velis gremio feſſa fovere tuo.*"

§. XX. Confirmabuntur exactius, quae hucusque ſtabilire conatus ſum, ſi Hygieines experientiam conſulere velimus: cur enim in ſenibus tam potens praecipuumque confortans adgnoſcitur vinum? cur in adſuetis unicum ferme, quod reſtat ſanitati aliquamdiu conſervandae, refugium? homines ſcilicet ſeneſcunt maxime, ac fatali naturae corporisque lege tandem moriuntur à diminutâ vel abolitâ circulatione, adeoque calore pereunte; vinum autem vaſa ſtimulando, liquorum motum reſuſcitat ac promovet, ſolida corroborat, atoniam praeſentem tollit, nimiamque eorum rigiditatem aliquamdiu vincit, ſic illa ad reactionem quodammodo cogit.

Quid praeterea moderata ſanguinis miſſio iisdem in ſenibus non

non prodeſt? quantôpere ſaepius, quo partes alibiles facilius moveri poſſint, ad molem liquidorum minuendam, haec in vaſis confert? nonne vaſorum parietes relaxando, obſtructiones inpedit?

Quid nimia alimentorum copia, nonne ob ſolidorum rigiditatem non ſatis ſubacta, ſpatia magis obplendo, obſtructiones auget?

His demum omnibus rite perpenſis, quis ierit inficias, ipſam naturam hominis operantem ſenſim exſtingui, ſicque corpori mortem neceſſario inducere? uti poëta canit:

Fallimur, & coeci mortem procul eſſe putamus,
Illa tamen medio corpore clauſa latet.

Paulatim morimur; momento extinguimur uno,
Ut lampas, oleo deficiente, perit.

§. XXI. Vultisne ſcenam vertere, paremque morbo tali adferre medelam, quantum vobis paretis ſudoris, ex ipſius naturâ conjicite cauſſisque & origine, quales modo expoſuimus. Cum ſenectutis morbus naturalis non niſi in defectu humorum ſolidaeque compagis nimiâ rigiditate & hinc debili primarum viarum & viſcerum Chylopoiëticorum actione conſiſtit, non ſine fructu quidem interne ſuadentur quaevis laxantia, eupepta, facile digerenda, aquoſa, nec non ad vim vitalem excitandam carminantia, cardiaca, ſpirituoſa, ut & externe fomenta, inunctiones, balnea vaporoſa, aquoſa, in genere quaecumque laxantia, humectantia, emollientia; relaxatae enim his, jam nimis rigidae, fibrae flexiliores redduntur, perſpiratio inſenſibilis promovetur, & vis vitalis, rigiditati inimica, reſuſcitatur: aſt monuiſſe liceat, cuivis de ſalute ſuâ debite ſollicito, ſi interitum in aliquantulum removere velit, ſobrietati quam maxime ſtudendum eſſe; minime enim cum magno caeteroquin Fr. Hoff-

MANNO (*) frequentem ſalium volatilium oleoſorum, balſami ſui vitae, ut & Ambratae, aliorumque, tamquam prophylacticorum; uſum tantôpere laudandum, ſed ſanam integramque naturam juſto potius ſex rerum non naturalium moderamine, quam medicamentis incolumem ſervandam & à morbis morteque defendendam cenſemus: nihil enim diaetâ, (†) accuratius quidem obſervatâ, praeſtabit.

§. XXII. Sit haec itaque in genere tenuis & parca; indolis laudandae praeprimis cibi & potus moderate capiendi, non ingurgitandi (unde chylus crudus, lentore ſuo ſanguinem inficiens, genuinosque liquores adulterans) ſalubre exercitii genus eligendum; (optime enim OVIDIUS L. I. ex Ponto, epiſt. 5.

Cernis, ut ignavum corrumpunt otia corpus,
Et capiunt vitium, ni moveantur aquae.)

quo ſimul animus exhilaretur, αἶψα γὰρ, juxta *Homerum*, ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι, obeundis muneribus mox alacrior rediturus: labor ut pro aetate, ſic & pro viribus, augendus vel minuendus; purgata ſenum auris hoc HORATII audiat:

Solve ſeneſcentem mature ſanus equum, ne
Peccet, ad extremum ridendus, & ilia ducat.

Non ſpernenda obambulatio in aperto aëre; multum praeſtat, vitalem auram, Zephyris leniter agitatam, amoenisque fragrantem odoribus carpere, quam domi veluti carceratos ſpirare incluſum aëra, humidum, vaporibus noxiis continuo foedatum (unde fibrarum laxitas, perſpirationis inminutio, catharri, febres lentae, podagra & paralyſes.) Evitanda maxime

(*) Tom. V. p. 320. de *ſeptem legibus ſanitatis.*

(†) Optimam nobis praeſcribit CICERO: „Valetudo ſuſtentatur (ait) „notitiâ ſui corporis; & obſervatione, quae res aut prodeſſe ſoleant aut obeſſe; & continentiâ in victu omni; atque cultu, corporis tuendi cauſſâ; & „praetermittendis voluptatibus." *de Off.* L. II. C. 24. Conſer. SENECAE epiſt. XV.

ime convivia in multam noctem protracta, nocturnaeque lucubrationes, quae moleſtus plerumque nec reficiens ſomnus inſequitur, quae organa praeſertim ſenſoria debilitant; tum ſtamina vel adteri, vel inordinatos motus concipere, diſcordibus undequâque turbis mens exagitari, vario diſtractis impetu fibris cerebri partes ſubſultare, (hinc delirium, convulſiones, malorumque cohors, vix ullo remedio depellenda) quin & vigiles lucernae, quo pinguiori fumo aërem inquinant, eodem oculis, pulmonibus, nervisque ſunt infenſiſſimae. Somno itaque placido tempeſtive indulgendum; leviores nonnumquam fatigando ſudores provocandi, caeteraeque excretiones fovendae; Veneri interea parciſſime litandum, ne & inbecillis proles inmerita patrum delicta luat: quin & omnes animi motus caute componendi ſunt.

§. XXIII. Sic longum in aevum Neſtoreos annos incolumes producent, ignis cito citius exſtinguendi ſcintillas fovendo, non ſuſcitando. Aſt inmortalitatem ne quis ſtolidus adfectet: non facient, ut ſtet in perpetuum corpus, Medeides herbae, nec Paracelſi Daura, aut folia Melampodii, neque potabile aurum, nec vitae Elixiria, à circulatoribus jactata (*), neque latrocinatus ſanguis, ex alienis venis in noſtras transfuſus; extraneas hic ſibi non adrogat opes. Ipſamet medica virtus mortem, inoffenſo pede currentem, ſiſtit tantum, non fugat; haec autem tela contorquet, Giganteös debellatura niſus. Huc enim

huc ſerius, ocijus omnes
Tendimus, hoc properant Croeſus & Irus iter.

Quibus Cl. ROYENI verbis, ne pluribus inpraeſentiarum vobis moleſtus ſim (vos veſtrosque à rigido hocce inevitabilique mortis jure diutiſſime ſalvos & incolumes precatus)

F I N I O.

(*) Confer. GAUBII Oratio *de vanâ vitae longae, à Chemicis promiſſae, exſpectatione.*

POSITIONES MISCELLANEAE.

1. *Verus anatomicus* DEUM *exiſtere, negare nequit: adeoque falſiſſimum quin & injurioſum tritum illud*, ubi tres medici, duo athei.

2. *Varia S. Codicis loca, ut recte explicentur, aliqualem ſtudii medici cognitionem requirere, veriſſimum eſt.*

3. *Multi tamen in Sacris memorati morbi, conjectu faciliores quam definitu; inter quos primas tenent* Aegyptiorum *adflictiones*, Judaeorum *lepra*, Philiſtaeorum *mariſcae* (עֳפָלִים), Jobi, *regum* Aſae, Jorami & Hiskiae, *ut & pauperis* Lazari *morbus.*

4. Antediluvianos *carnium eſui prorſus non indulſiſſe, (ut ex Geneſ.* IX. 3. *praecipitanter nimis colligitur) eosque hâc de cauſsâ longaeviores evaſiſſe, haud ita facile concedo.*

5. *Orientalium phraſin*, poſteros egresſos esſe de femore, exiiſſe de-, & fuiſſe in lumbis parentum, *maxime adpropriatam eſſe, docet Phyſiologia.*

6. Moyſes *vitulum aureum comburendo, inque minutiſſimum pulverem redigendo, ſic ut ebibi potuerit, artis chemicae ſe non ignarum oſtendit.*

7. *Errarunt olim legis Moſaicae ſectatores, errant & hodiedum Judaei, cumque his alii, qui Hymenis praeſentiam incorruptae virginitatis & pudicitiae ſignum adgnoſcunt.*

8. *Luem veneream* Iſraëlitarum *temporibus jam inde viguiſſe, non quidem ſatis probabile videtur.*

9. *Neque ſat validis argumentis* WEDELIUS *hanc cum* Judaeorum *leprâ confundit.*

10. *Maximam eſſe, in perturbato animo deliniendo & depreſſo erigendo, remedii, a muſicis modulis petiti, vim, illiusque uſum antiquiſſimum eſſe;* Sauli *regis exemplo conſtare poteſt.*

11. *Juveneſcere cupientibus ſalubrius erit ſenis* Davidis *remedium, quam ipſius ſanguinis transfuſio, à curioſis licet ingeniis tentata.*

12. Salomonem, *ſenilis aetatis incommoda & vitia allegorice depingentem, non exiguam phyſiologiae cognitionem habuiſſe, colligendum videtur ex* Eccleſ. XII. 1—7.

13. *Non placet illorum ſententia, qui volunt, Centurionis ſervum (quem miraculoſe ſanatum legimus* Matth. VIII. 13.) *ſcorbuto laboraſſe.*

14. *Sanguinis profluvium, quo mulierem duodecim annos correptam recenſet* Matthaeus *IX*, 20, *ex genitalibus manasſe, adeoque humanâ arte vix ac ne vix quidem ſanabile fuisſe videtur.*

15. GALENUS *et cum eo plures obſervarunt* „*contingere interdum, poros ex multo aut fervido ſpiritu usque adeo dilatari, ut etiam exeat ſanguis per eos, fiatque ſudor ſanguineus.*" *Vix dubitandum itaque, quin* Salvatoris *ſudor* (Lucae *XXII*, 44.) *cruori non tantum ſimilis, ſed et vere ſanguineus fuerit.*

16.

16. *An piſcinam* Betheſdae (Joannis *V*, 2. *memoratam*) *calidis aquis adnumerare licet? negative reſpondemus.*

17. *Cum plures memorentur à* Galeno, Dioscoride, Plinio; *Unguenti Nardini ſpecies, rectisſime ab Euangeliſtis* πιστικὸν *audit, ut* genuinum, non adulteratum *ſignificetur, quod nonnulli, neſcio qui et quam ob causſam,* πιτικὸν, *ac ſi* potabile, liquidum *voluisſent, emendare amant.*

18. *Morbi* σκωληκόβρωτος *et* φθειρόβρωτος *minime confundendi; hoc ſumma cutis, illo corporis interiora depaſcuntur: quare non dubitandum, quin D.* Lucas, *et ipſe Medicus, utriusque vocis vim bene capiens,* Act. *XII*, 23 *voluerit,* Herodem *regem non pediculari aſt verminoſo morbo periisſe.*

19. *Circumciſorum praeputium adducendi memoria antiquisſimos apud Hebraeos exſtat: ad quam operationem, inter Judaeos ſat longum tempus uſurpatam, non probatam tamen, reſpicit D.* Paulus 1 Corinth. *VII*, 18.

20. Ὀλίγον *vini, quod* Timotheo *ſuo, adſiduis officii demandati lucubrationibus debilitato, praeſcribit D.* Paulus, *de quantitate, non de qualite vini, intelligendum videtur.*

21. *Recte* Hoffmannus *adſeruit.* „ *S. Scripturam optimam nobis exhibere* „ *medicinam diaeteticam, quâ & ſanitatis exoptatum commodum, &* „ *vitae terminum, a Deo machinae noſtrae naturaliter conceſſum, ex* „ *voto adſequi optime poſſimus.*"

22. „ *Adeoque Sacros auctores, de ratione & medicè veriſſimâ, piis longitudi-* „ *nem dierum annoſamque vitam promiſiſſe; inprobis autem vitae brevita-* „ *tem poenae loco indixiſſe.*"

23. *Medicina omnium ſcientiarum nobilisſima, quippe quae ad corpus et ad animam ſimul ſpectet.*

24. *Vitae terminus, hominibus conſtitutus, non magis tollit Medicinae uſum, quam cibi potusque.*

25. *Medicè vivere eſt modicè optimèque vivere.*

26. *Recte* Musonius, Medici officina, Philoſophi ſchola.

27. Medicum amicum ignoto praeferendum (ſi ſcientiâ pares ſint) *cum* Celso *tenemus atque ſuademus.*

28. *Medicamentum non ſemper aegris prodeſt, nocet ſemper ſanis.* Celsus.

29. *Hominem hydrophobum vitâ privare, quâ demum id fiat ratione, inhumanum eſt, Medicoque inprimis Chriſtiano inlicitum.*

30. *In extremis malis praeſtat remedium anceps quam nullum.*

31. *Gravidarum corporis animique adfectus ut plurimum foetui nocere, negabit nemo; naevos tamen aliaque organica infantum vitia ex matrum imaginatione vulgus, non philoſophus deducat.*

32. *Gravidae, à ſexto geſtationis menſe obeunti, foetum non extrahere, plusquam ſocietatis civilis legibus repugnat. Illi itaque magiſtratus de genere humano optimè meriti, laudeque ſummâ digni, qui lege juſtâ ſimul atque ſeverâ delictum ejusmodi praecaveri curant.*

33.

33. *Omnes ab auctoribus relatae pariendi cauſſae, ſimul ſumtae (meconii nempe ſtimulus, reſpirationis neceſſitas, uterus ulteriori diſtenſioni inpar, ut et mole gravitateque foetus irritatus) ſufficere videntur ad explicandam partus rationem, ſeorſim ſpectatae neutiquam.*

34. *Perforatorii uſus in nivente adhucdum foetu Philoſophiae moralis regulis contradicit; non ſemper tamen.*

35. *Infantes, qui Galeati ſeu Vittati naſcuntur, num aliis feliciores habendi? omnino hoc ſenſu, quo* MAURICAEUS *(L. 2. C. 3.) explicat; alio enim fraus eſt vel ſuperſtitio.*

36. *Ex pulmone, aquae innatante, non valet concluſio ad perpetratum infanticidium.*

37. *Infantes aliis lactandos tradere, ipſâ valente matre, quemadmodum artis noſtrae regulis, ſic & religioni incongruum.*

38. *Nutrices, infantes moroſos Opiatis ſopientes, libertate vix tolerandâ uſae, ſtupiditatis ingenii multorum perpetuaeque fatuitatis non raro in cauſſâ ſunt.*

39. *Variolarum inſitio num voluntati Divinae contraria cenſenda eſt? minime gentium.*

40. *Illud Divi* HIPPOCRATIS *(S. VI, Aph. 30.)* Παῖς οὐ ποδαγρᾷ πρὸ τοῦ ἀφροδισιασμοῦ, *experientiâ duce, non admittendum cenſeo.*

41. *Analogiae beſtiarum inter & hominum viſcera formandae nulla ſacerdotum extiſpiciis prior fuiſſe videtur occaſio.*

42. *Aetate noſtrâ, miraculis haud adeo dicatâ, morborum per Regium adtactum ſanatio piam fraudem olet.*

43. *Sanationes,* Sympatheticae *dictae, ſi quando procedunt, (ut et amuletorum effectus) imaginationi, vel et benignae Naturae viribus, potiſſimum tribuendae ſunt.*

44. *Magiae verae exſiſtentia et incantationum efficacia fabulis adnumeranda ſunt.*

45. *Hiſtrionem ſapit, qui cujusvis promiſcue morbi cognitionem ex urinae inſpectione haurire velit.*

46. *Sanguis, qui in ſequiori ſexu menſium nomine evacuatur, bonae non venenatae indolis eſt.*

47. *Animae noſtrae è corpore migratio effectus ſemper, nunquam cauſa, mortis aeſtimanda.*

48. *Mortis verè praeſentis ſigna ſat certa paucis à vitâ horis non ſemper dantur; incauti ergo multis in caſibus illi, qui ante diem quartum vel quintum ſepeliunt.*

49. *Certo magis laudandus eſt veterum mos, comburendi cadavera, quam noſtratium ſepeliendi in coemeteriis, & quod pejus in ipſo aedium ſacrarum gremio*

50. „ *Qui naturâ admodum craſſi ſunt, citius intereunt, quam graciles, & „ praepinguia corpora celerius ſeneſcunt.*" HIPPOCR. *Sect. II. Aph.* 44.

51. „ *Ignavia corpus hebetat, labor firmat.*" *Recte* CELSUS.

52. *Mens, corpus atque vis actuoſa conſtituunt hominem.*

AMI-

AMICO EXOPTATISSIMO & INTEGERRIMO

ABRAHAMO à MOERBEEK, S. S. Th. Cand.

Quum Solemniter Medicorum ordini insereretur.

Tu mihi Caſtalio tribuas de fonte liquores,
  Phoebe, precor: faveas turba novena mihi!
Moerbêkii cupio feſtivo tempore laudes
  Dicere, pro Socio fundere vota placet.
Illa negare vetant ſinceri nomen amici,
  Quaeque ſtetit nobis non violanda fides.
Tu ſocios inter profesſus nomina noſtros,
  Tu mihi perpetuo verus amicus eras.
Saepius et tribuens gratis ſolatia dictis,
  Tu mihi, quod repeto, fidus amicus eras.
Luſtravi Tecum quoties ego viſcera? noſti;
  Auxiliumque mihi conſiliumque dabas.
Digna Tibi tantis nequeo dum ſolvere factis,
  Grata, precor, ſocio ſint pia vota meo.

Dum ſtudiis libuit denas incumbere meſſes,
  Jam ſtudii fructus carpere poſſe detur.
Praeſenti diros medicamine pellere morbos
  Perge, Tuam poſcit languidus aeger opem.
Et Medico jungens ſtudium plus utile, pande
  Sontibus aeterni juſſa verenda Dei.
Sic animam corpusque tuens, celebraberis Orbi,
  Numinis aeternum terricolûmque decus.
Si mea vota valent, multas numerabis ariſtas,
  Turbabunt laetos triſtia nulla dies.
Omnia praeterea felix probet exitus acta,
  Et Tibi pro votis omnia coepta cadant.
Dum jam, quod doleo, fatis disjungimur ambo,
  Quae viguêre diu, vincula ſtringat amor.
Nomina dum nobis ſemper tua ſacra manebunt,
  Vive memor noſtri, vive valeque diu.

Paucis hisce gratulatur

J. T. van de Wynpersse, Med. Stud.

HONORI

HONORI ET MERITIS

AMICISSIMI DOCTORANDI

ABRAHAMI à MOERBEEK.

Nil habet nec fortuna tua majus, quam ut poſſis, nec fortuna tua melius, quam ut ſervare velis quam plurimos.

CICERO.

Tu BRANDUM *nuper laudabas carmine Veſtrum,*
Nunc et ego referam praemia parta Tibi:
Cum placuêre Tui mores, candorque, leporque,
Jucundique joci, mixtaque verba ſale.
Quis Tibi jam Medici tribui miretur honores,
Quem gremio fovit docta Minerva ſuo?
Illius auſpiciis, non paucos inde per annos,
Tuque Machaönii ductus amore ſavi,
Inſomnis ſolitus noctes junxisſe diebus,
Volvis, et Hippocrates *quaeque* Galenus *habent.*
Hoc Tua ſcrutanti doctisſima, plena laboris,
Paeoniae cultor! pagina ſcripta docet.
Heu quantis mortale genus, Dulcisſime! monſtras,
Adſiduo premitur, conteriturque malis!
Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum,
En ſenio fesſis corpora membra gravant;
Contractae firmae, fluidae ſua munera partes
Jam renuunt fungi, victaque vita jacet.
Si non ſint infauſta meae praeſagia muſae,
Moerbeeki! *invalidis dulce levamen eris.*
Reſtat majus opus, nec enim Tibi ſiſtere curſum
Hic fas eſt, Myſtis adnumerande ſacris:
Tu ſanare doces corpus, animaeque mederi,
Et merito geminâ nomen in arte micat.
I nunc, i generoſe animi, quo Te Tua virtus,
Quo Tua Te fauſto ſidere fata vocent;
Detque dies Numen longos, ſine nube, ſecundos,
Et ſero ſuperûm tange beâte domus.
Tempora mutentur, nos non mutemur in illis;
Quomodo? ſit ſemper pectore fixus AMOR.

Sincerè et Candidè.

Anſ

Auf die Beförderung des

EHRWÜRDIGEN und GELEHRTEN HERRN

ABRAHAM von MOERBEEK,

THEOLOGIAE CANDIDATI

Zu der Doctorswürde in der Arzneykunde.

Angenehme Frühlingsſonne /
Du geh'ſt uns ſo helder auf;
Und giebſt wahre Herzenswonne
In dem frühen Morgenlauf.

Wir ſeh'n MOERBEEK promoviren;
Der empfängt den Doctorhut /
Nach dem emſigen ſtudiren /
Tag und Nacht / mit Luſt und Muth.

Eltern / Brüder und Verwandten
Jauchzen mit der Muſenſchaar;
Es frolocken die Bekannten
Herzlich / liebreich / ſonderbar.

Glück zu Deiner neuen Ehre /
Der ſie würdig ſind geacht!
Daſz die fortan ſich vermehre /
Sey Dir wünſchend zugedacht!

Daſz Sie allerleie Kranken
Heilen mögen in dem Grund /
Und nach richtige Gedanken
Machen durch Arzney geſund!

Daſz GOTT / täglich / ſeinen Segen
Ihnen gebe; fernerhin
Halte auf den Tugendwegen,
Gottesfurcht ſey Dein Gewinn!

Wenn ſie in die Fremde zögen /
Daſz Dein Geiſt ſich da erhoh'!
Und wir Freunde bleiben mögen!
Wünſchen alle. Lebe wohl!

Amicitiae amorisque veri memoria.

E. A. A. N.

A A N   D E N

EERWAARDIGEN HEERE

ABR. VAN MOERBEEK,

toen Zijn Ed. naa het volbrengen van de Godgeleerde en Geneeskundige Letteroeffeningen, tot DOCTOR in de Geneeskunde zoude bevorderd worden.

Ja, MOERBEEK! *'t is den menſch gezet éénmaal te ſterven.*
Al had ik 't nooit geloofd, 'k geloofde 't nu gewis,
Daar Gij 't zo ſtout voldingt: doch, ſchoon 't zo zeker is,
De Maatſchappy kan toch Uw' byſtand nimmer derven.

❀ ❀

Met blijdſchap roeme ik dan Uw' Letteroeffeningen;
Dewijl Uw wijs beleid de kunſt der Artzenij
Aan Godgeleerdheid huwt. De dankb're Maatſchappy
Belooft van Uwen dienſt zich zeer gewenſchte dingen.

❀ ❀

Wie zou zich aan Uw' zorg niet veilig overgeeven?
Ik wacht van U een' ſteun voor Kerk en Vaderland,
Een ijverigen Arts, en trouwen Boetgezant,
Daar Gij de broosheid kent van 't ondermaanſche Leeven.

❀ ❀

Geluk dan met Uw' keus! De lofzang ſtap U tegen
Van menſchen, die Uw' hulp en raad, in ſmart en nood,
Verwachten! GOD, de HEER van Leeven en van Dood,
Bekroon Uw' dubb'len taak met eenen dubb'len zegen!

J. v. EYK, S. S. M. CAND.